

praecepta quod inter elementa et membra: haec ex illis dependent, illa et horum causae sunt et omnium.

‘Antiqua’ inquit ‘sapientia nihil aliud quam facienda ac
 13 vitanda praecepit, et tunc longe meliores erant viri: post-
 5 quam docti prodierunt, boni desunt; simplex enim illa et
 aperta virtus in obscuram et sollertem scientiam versa est
 docemurque disputare, non vivere.’ Fuit sine dubio, ut dicitis, 14
 vetus illa sapientia cum maxime nascens rudis non minus quam
 ceterae artes quarum in processu subtilitas crevit. Sed ne opus
 10 quidem adhuc erat remediis diligentibus. Nondum in tantum
 nequitia surrexerat nec tam late se sparserat: poterant vitiis
 simplicibus obstare remedia simplicia. Nunc necesse est tanto
 operosiora esse munimenta quanto vehementiora sunt quibus
 petimur.

15 Medicina quondam paucarum fuit scientia herbarum qui- 15
 bus sisteretur fluens sanguis, vulnera coirent; paulatim deinde
 in hanc pervenit tam multiplicem varietatem. Nec est mirum
 tunc illam minus negotii habuisse firmis adhuc solidisque
 corporibus et facili cibo nec per artem voluptatemque cor-
 20 rupto: qui postquam coepit non ad tollendam sed ad irritan-
 dam famem quaeri et inventae sunt mille conditurae quibus
 aviditas excitaretur, quae desiderantibus alimenta erant
 onera sunt plenis. Inde pallor et nervorum vino madentium 16
 tremor et miserabilior ex cruditatibus quam ex fame macies;
 25 inde incerti labantium pedes et semper qualis in ipsa ebrietate
 titubatio; inde in totam cutemumor admissus distensusque
 venter dum male adsuescit plus capere quam poterat; inde suf-
 fusio luridae bilis et decolor vultus tabesque †in se† putrescen-
 tium et retorridi digiti articulis obrigescentibus nervorumque